

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertatio Inavgvralis Philosophica De Paedantismo  
Didactico Pythagorae Ratione Silentii**

**Köhler, Johann David  
Deinlein, Georg Friedrich**

**Altorfii, 1714**

**VD18 10341811**

Praefatio

**urn:nbn:de:bsz:31-94984**

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOSOPHICA  
 DE  
 PAEDANTISMO DIDACTICO  
 PYTHAGORAE RATIONE  
 SILENTII.

PRAEFATIO.



*S*iquae unquam disciplina Philosophica & magistri, ut videbatur, summa sapientia, virtute, auctoritate, eximisque institutis, & discipulorum frequentia, obsequentia, continentiaque per orbem literarium inclaruit, ea certe fuit disciplina Pythagorica, quae tanto applausu tam a gentilibus quam a christianis doctoribus fuit excepta, ut omnes Pythagoram, ut ἀεικλύδων ἢ πατέρα τῆς ἡμετέρας Φιλοσοφίας suspexerint & admirati sint, omniaque ejus instituta & disciplinae ordinem adeo approbaverint, quasi nihil melius, aptius, & efficacius ab humano ingenio excogitari potuisset, quo homines a vitiorum illecebris & corruptelis ad honestum vitae morumque studium traducerentur. Verum uti semper ex prudentiae regulis veritatis indagatori est cavendum, ne decipiat per applausum & judicium aliquod universale, ita etiam in pertractanda Philosophia Pythagorica sedulo in id potissimum incubui, ut in omnia hujus celebratissimi Philosophi placita accurate inquirerem, eaque ad principia sanioris doctrinae philosophicae examinarem. Cum itaque omnem operam navarem, ut Pythagoras a me quasi intra sindonem nosceretur, laborem omnino non frustraneum sustinui, sed in hac disquisitione multa vitia didactica disciplinae

A 2

Pytha-

Pythagoricæ deprehendi, quæ animum plane non ad illorum partes pertrahere potuerunt, qui praecones disciplinae illius plenis buccis agunt, & nescio quid divinum, omnibusque numeris absolutum in ea se invenisse, gloriantur. Ex multis atque variis a me animadvertis lubet impraesentiarum solum exempli loco adducere famosissimam illam echemythiam. Proh Dei atque hominum fidem quantis laudibus ea est ab omni aevi doctoribus celebrata, & docentibus discentibusque passim commendata! Sed si ea absque omni praejudicio accurata rationis trutinâ pensetur, observamus Pythagoram in hoc instituto boni doctoris officio minime functum fuisse, sed suae tantum superbiae atque invidiae consuluisse & haec vitia simul hac sua methodo discipulis instillasse. Quod ut magis palam fiat, constitui, annuente Deo, hoc in praesenti specimine philosophico, ex auctoritate Amplissimi Collegii Philosophici publice proponendo, uberius declarare: Omnem vero rem duabus potissimum sectionibus distincte proponam. Prior erit historica, & exponet strictim ipsum institutum silentii a Pythagora discipulis impositi ex Diogene Laërtio, Jamblichō, Porphyriō, Philostrato, Gellio, aliisque auctoribus, qui hoc descripserunt. Posterior erit Didactico-Critica, & demonstrabit per specialem applicationem omnium membrorum historicorum, quam parum consentiat hoc institutum cum vera & prudenti didactica. DEVS vero, omnis verae sapientiae fons inexhaustus, qui eam ob causam homini pro sua ineffabili benignitate mentis perspicaciam largitus est, ut vera a falsis, bona a malis, ad suam salutem solite distinguat, neque in alterius auctoritate imprudenter acquiescat, & veluti servum pecus praeceuntem sequatur, sed ipse rimetur veritatem, sibi que caveat a fūco inflatae sapientiae, & huic conatui meo gratia sua divina adspiret, eumque dirigat ad nominis sui gloriam, veritatis manifestationem, & inde profuens proximi emolumentum!

SECTIO